

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

responderet, posterius hoc esse impossibile, nosque haud levibus ad credendum ducamur conjecturis, numquam fortasse fore, ut isti profus damnent nostrarum & papistarum Ecclesiarum conciliationes, tanquam idolatricas, nescio sane, quid amplius sperem non solum de nostra cum Wittembergensibus concordia, sed etiam quid non timeam damni Ecclesiae ab ipsis adhuc inferendi. Deus pater Domini nostri Jesu Christi fervet miseras has reliquias, & vos una nobiscum consentientes in verbo, fide & confessione Christi contra Antichristum usque in finem. Bene in Christo vale cum tota urbis & domus tuae Ecclesia, collegas in ministerio Christi reverenter saluta, quibus & mei fausta omnia precantur, nostramque Ecclesiam commendant vestris etiam precibus. Datae Bethuliae Saxonum 4. idus Decembris, Anno 1551.

*Tui observantissimus & amantissimus*

Nicolaus Gallus, Pastor ad  
Divum Udalricum.

XI.

**S**. In Domino. Fateor sane, clarissime Doctor, culpam meam ex illo meo diutino, ne dicam perpetuo, silentio contractam, quam oro pro tua aequitate vel multa vel condona. Certe ut & hoc ingenue non diffitear, pro mea bona voluntate saepe ad te scribere volui, praesertim ubi hic te coepi penitius inspicere & observare. Sed ut fert maligna hujus difficillimi seculi tempestas, non semper huic meae *indolentia* respondit facultas. Dabis ergo veniam mihi, ad te hactenus nihil scribenti, vel si vis, quod praefatus sum, multam, quam tamen spero me nunc saltem posse vel cavere vel solvere, ista ad te scribendi occasione, quam dederunt optimi cives Biberacenses, aliquoties huc scribentes, ut tandem idoneus aliquis Ecclesiastes mittatur in locum illius, quem fere nunc ad septem menses ex gratia Illustrissimi Principis nostri mutuo acceperunt, usi pia illius ministri opera in ipsorum Ecclesia, atque illum ipsum Ecclesia Ballingensis sua, ardentem repetit, quo tamdiu aegre caruit, hujus gratia optimus Senatus Biberacensis pia philotimia ambit, si quem idoneum successorem & pie doctum Ministrum tandem obtinere queat; Id quod tua charitas liquido ex literis tibi inscriptis cognoscet. Scripserunt & mihi ferè nunc quinquies, & miror, cur ad proximas meas, in quibus optimi Flinneri, apud vos nunc exulantis, mentionem feceram, profus nihil meminerint. Sanè hinc occasionem praetereundi eum ex meis

arripuerunt, quod inserueram Flinneri moderatum & prudens dictum, cum hic mecum esset; Se non libenter ulla invidia & factioso gravamine onerare Principem vel Rempubicam aliquam. Præsertim quoque Biberacenses, rursus ut ipse intelligeret, odio *ἀντιπαθήσει* ut ipse, graviter laborantes. Verum liberè & verè subjecit, se iactâ in Domino aleâ quemvis Dominum & patronum, assumere & se suæ curæ committere velle, qui eum in ministrum & clientem suscipere dignaretur. Quod si prudenti tuo consilio & ope prædictus Flinnerus Biberacensibus commendari posset, oro aliquid tentes, quo Flinnerus sentiat, nos illius in isto gravi exilio non oblivisci, ut & Biberacensium rationem haberi cuperemus. Etsi illi, quod præfatus sum de Flinnero, ne Gry quidem ad me scripserint, unde subodoror, forsan illos lubentius habere aliquem non ita, ut Flinnerus, immerito Cæsareano odio laborantem. Quem verò & qualem tu cum Ornatissimis tuis Symmystis, tam ardentè postulant idoneum Ministrum Biberacensi Ecclesiæ commendare & promovere queas, vestræ committo prudentiæ, & valde vos rogo, ut tandem Biberacenses experiantur & meam pro illis humilem intercessionem non fuisse vanam. Ubi harum lator huc redierit, ad nonnulla quædam literarum Senatus ad me respondebo, cupiunt etiam à me cuidam olim in Ulmenfi agro ministro, Martino Kartero, testimonium dari, quem forsan adhiberent vel Diaconum vel Symmystam huic, quem sperant à vobis mittendum eis. Nihil verò certi novi tua cognitione dignum. Hisce quidem diebus Illustrissimus noster Princeps Beblingiæ (ubi Provinciale Comitolum hodie ordietur) convenit Illustrissimum Principem Palatinum D. Ottonem Heynricum in sua reverentem, & hodie Illustrissimus Princeps, Johannes, Marchio Brandenburgensis, Electoris Joachimi frater, cum nostro Principe in arce hic agit. Quid isti conventus ferant, ignoratur. Valde enim secreta sibi ipsis servant Heroës isti. Dominus pacis tandem tranquillet tam graves procellas, universæ navi Germaniæ incumbentes. Hæc ut vides, & ruditer & breviter ad te effudi potius quam scripsi, quæ boni consulas; velim & reverenter ex me salutes Reverendum Dominum Doctorem Hedionem, Collegam. Pariter & Venerandum Magistrum Ludovicum Rabum, cui dicas, Clarissimum Dominum Doctorem Hechelium, qui in causa sua, ut olfacio, principalem commissionem ad Theologicam facultatem habet, heri eâ de re in transcurfu mecum contulisse, ut spes sit bona, dispensationem impetratam esse. Refer quoque ei, Magistrum Jacobum Fabrum futurum ejus concurrentem, ut vocant, hisce diebus in suum Episcopatum Gœpingensem abisse, relicta hic suâ puerperâ. Quam primum autem Facultas Theologica hic Principis sententiam acceperit, & Doctor Jacobus Beurlin, colendus meus collega, & ipse Magister Jacobus Rabo significabunt, porro factò quid opus sit? Salveat & Christophorus Sellius & Negeli-

A. 1552.

PARS SECUNDA.

31

Negelinus, gentilis meus, quos vellem per hunc Biberacensem nuncium ad me scribere. Flinero quoque omnia fausta precor. Tu cum sancta tua & publica ac privata domo optimè vale & me tibi commendatum habe. Raptim, Tubingæ. 4. Octobris 1552.

I. I.

Martinus Frechtus.

---

XII.

*S. D. Reverende vir & charissime frater!*

Cum jam iter ingressuri essent nostri bibliopolæ, venit ad me Vir honestus, Sebastianus Matthæus, Wittebergensis, qui narrat, debere sibi Argenteratensem Johannem Weidner quadraginta Joachimicos & grossos duodecim, ac promississe, se numeraturum esse eam pecuniam statim post Nondinas Francofordianas, quæ promixò autumno fuerunt. Quæso ut in re justa, quantum potes, vel apud ipsum, vel apud magistratus agas, ut debitum numeretur. Scis, hæc officia necessaria esse. De ceteris rebus scribam alias. Dux Prussiæ edidit conciliationem sententiæ Osiandricæ & Brentianæ & præcipit iis, qui non adfentiuntur, ut discedant. Inde novi tumultus orientur. Bene & feliciter vale, & rescribe. Die X. Martii. 1553.

Philippus Melanthon.

---

XIII.

*Gratiam & pacem DEI per Christum.*

Sicut non levi dolore, patres & fratres in Domino plurimum observandi antea ex cruciati fuimus, cum ex multis locis partim literis, partim sermone hominum ad nos perferretur, Osiandri errorem & in Prussia, & Norimbergæ invalescere constabilirique vestris quibusdam scriptis, quibus (ut Osiander privatim publiceque gloriatur suis) ei quasi patrocinari videremini: Ita nunc contra non vulgari gaudio affecti sumus, cum vestram declarationem & Confessionem die 30. Januarii nuper scriptam perlegimus. Nam etsi ea quoque quidam cuperent tum prolixiora, tum & dilucidiora esse, tamen nos bona spes habet, vos illis ipsis scriptis erepturos Osiandristis gloriandi de vestro secum consensu ansam, quam se ex prioribus admodum firmam commodamq; arripuisse